

imperante, ut delinquat in aliquo, quod tamen non continet atrocitatem facinoris, non creditur filius aut servus velle quoad suam poenam: namque parere necesse habuit, et ideo sibi ignoscitur, l. *Ad ea quæ*. ff. *de Reg. jur.*

98. *Ac solvuntur instantiæ*. — Ad alterum textum respondetur, ibi sub ly « nimia patroni reverentia, » intelligi metum reverentialem non quemcumque, sed minis a patrono intentatis conjunctum: prout indicat additum ly « nimia, » id est, super excedens reverentia; qualis intervenit, ubi aliud malum fimeur. Nec obstat, quod immediate antea fiat ibidem mentio de metu, sicque altera particula videatur superflua, si sit intelligenda de aliquo metu. Resp. enim, quod particula illa, « vel nimia patroni reverentia, » stat declarative, majorisque claritatis gratia subjungatur verbis illis immediate præsentibus, « metu solo; » sicque non censeatur superflua. Sanchez, cit. l. IV, disp. 6, n. 16.

99. *Secus si metui reverentialem accedant sævitia, vel graves minæ*. — Altera pars, seu quod accedente sævitia, vel gravibus minis parentum, aut superiorum aliquid imperantium, metus reverentialis sufficiat ad irritandos, vel rescindendos contractus filiorum, sive subditorum exinde celebratos; patet ex c. *Causam matrimonii*. ff. *de Offic. delegat.*, ubi habetur consensum mulieris a viro suo verberibus, et flagellis affectæ, nullius esse momenti. Concordat c. *Cum virum*. 12. *de Regularib.* ubi dicitur, « quod puellæ in ætate nubili constitutæ, quæ coactæ parentum imperio, virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere. » idipsum probatur ex l. *Si per expressionem*. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* Item ex c. *Ex litteris*. 13. *de Desponsat. impuber.*, ubi non obligatur puella, quæ « nolens et invita, minis parentum impulsæ, » quidpiam egit, cum similibus.

100. *Solviturque instantia contra hoc*. — Quod si contra hoc objicias textum in l. *Metum non jactationibus*. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* ubi dicitur: « Metum non jactationibus tantum, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit: » ut proinde neque sufficere videatur metus reverentialis etiam conjunctus minis, ad rescindendos contractus. Resp. cum Glossa, et Bartolo, ibid. si ly « jactationibus tantum, » velimus accipere ex parte minitantis, seu metum inferentis, inde solum sequi, quod ex solis minis

non probetur metus, sed ultra requiratur, quod persona, illa quæ jactavit se damnum illaturam, sit potens exequi minas, simulque has consueverit exequi, et verisimiliter sit executura; ut jam dictum fuit supra, § 2. n. 19. Si autem ly « jactationibus tantum, » accipitur ex parte metum passi, tunc exinde tantummodo sequitur, metum non probari ex eo solum, quod is jactaverit, seu exclamaverit coram aliis, sibi metum fuisse illatum, nisi alia signa concurrerint. Ex his autem nihil sequitur contra conclusionem.

101. *Vel importunæ seu instantissimæ preces eidem jungantur*. — Tertia tandem pars, loquens de importunis precibus (per has intelligendo non quascunque preces, sed eas solum, quæ sunt instantissimæ sæpiusque repetitæ) simulque conjunctis metui reverentialem, probatur ex eo. Siquidem ex una parte ejusmodi importunitas parentum, vel majorum iterum iterumque petentium, valde urget, vexat, quin et subjectos quandoque opprimat: prout desumitur ex *Judic.* cap. XVI, 16, ubi tale quid etiam ipsimet fortissimo Samsoni contigisse legitur, illis verbis: *Cumque molesta esset ei Dalila suis importunis precibus, et per multos dies jugiter adhereret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est.* Unde in Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII, § 1, notatur, quod quandoque aliqua a Romanis pontificibus « improbitas importuna petentium non tam obtinuisse, quam extorsisse noscuntur, » etc. Ubi Glossa §. *Quam extorsisse*, inquit: « Scilicet ab invito per talem importunitatem. » Ex altera vero parte reverentia majoribus petentibus debita, timorque ipsos offerendi, haud leviter instat: ergo non immerito ambæ hujusmodi causæ in simul conjunctæ, censentur efficere metum cadentem in virum constantem; nam et cæteroquin, « Quæ non prosunt singula, multa juvant, » prout patet ex l. *Instrumenta*. C. *de Probation.* juncta Glossa ibidem.

102. *Metus semel illatus tamdiu præsumitur durare, quamdiu durat ratio illius*. — Quæritur IV. *Quamdiu metus semel illatus durare præsumatur?* Resp. I. Quando eadem causa et ratio illati metus perdurat, etiam metus illatus durare præsumitur. Ita Bartolus in l. II, § *Quæro quid si parum*. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.*, ubi hoc exemplificat de tyranno cogente me ad promittendum: nam toto tempore suæ tyrannidis instat metus, et donec sum in loco, ubi is exercet tyrannidem.

Mascardus, *de Probationibus*, conclus. 1056, n. 36 et seqq.; Menochius, *de Præsumpt.* lib. III, præsumpt. 4, n. 22. et præsumpt. 126, n. 28. plura hujus exempla adducunt, et alii. Idque argumento a sensu contrario desumpto, probatur ex illo vulgato: « Cessante causa cessat effectus, » c. *Cum cessante*. 60. *de Appellat.*

100. *Præsumitur autem cessasse, seu purgari ex contrariis indiciis, ex quibus præsumebatur illatus*. — Resp. II. Metus semel in contractu interveniens præsumitur cessasse, seu purgari ex contrariis indiciis seu conjecturis, ex quibus præsumebatur fuisse illatus. Ita Menochius, cit. præsumpt. 126, n. 33 et seqq. Idque declaratur exemplis.

104. *Sic purgatur metus mulieris, invite contrahentis, per longam spontaneam cohabitationem cum marito suo*. — Sic imprimis muliere per longam moram sponte cohabitante suo marito, censetur convalescere matrimonium, ac metus purgari: haud obstante, quod ab initio invita, et renitens contraxisset. Textus est in c. *Ad id*. 21. *de Sponsalibus*. Unde versiculi illi:

Effuge cum poteris, ne consensisse puteris:  
Nam si persisteris, illius uxor eris.

105. *Item metus tempore promissionis interveniens per spontaneam solutionem rei promissæ*. — Deinde, quod per spontaneam solutionem rei promissæ purgetur vitium metus adhibiti tempore promissionis, legitur expressum in l. II. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* Unde quoties ille, qui metum allegat, sponte solvit, aut observat, quod promisit, vel sibi reciproce promissum exigit, metum purgasse præsumitur. Menochius cit. præsumpt. 126, n. 35. citans alios.

106. *Solvitur instantia*. — Nec obstat textus in l. *Ex ea stipulatione*. ff. *de Condition. ob turpem caus.* ubi repetitur pecunia metu soluta. Resp. enim cum Bartolo in cit. l. II. C. *De iis, quæ vi metusve, etc.* ibi adhibendum fuisse metum etiam in solvendo, ac proinde merito repeti pecuniam jam solutam: hic autem, seu in cit. l. II. metum intervenisse in promittendo tantum.

107. *Metus non præsumitur intervenisse, quando adhibebatur præsentia consanguineorum vel amicorum. Limitatur hoc ipsum*. — Tertio metus purgatur, vel potius nunquam intervenisse præsumitur, quando adhibeatur præsentia consanguineorum, vel amicorum: ut l. *Transactionem*, ac notat Bartolus, ibid.

C. *de Transaction.*; Felinus in c. *Causam matrimonii*. n. 6. *de Offic. delegat.*; Mascardus cit. conclus. 1056, n. 23. allegans alios. Ubi tamen, n. 24 et 27. istud limitandum censet, quando vel amicorum præsentia non sufficeret ad resistendum potentia metum inferentis, vel quando intervenit enormis læsio: de quo, aliisque nonnullis huc spectantibus, plura citatus auctor una cum aliis, quos copiose allegat.

## TITULUS XLI.

## De in integrum Restitutione.

1. *Ratio ordinis rubricarum*. — Quia titulo præcedenti visum est de quadam restitutione speciali, quæ videlicet datur « metus causa: » subnectitur jam rubrica de restitutione quadam generali per quam subvenitur minoribus, ipsisque Ecclesiis, jure speciali; majorennibus vero ex clausula generali, juxta scilicet causa suggerente, juxta l. I. ff. *Ex quibus causis majores*, et notat Glossa, ad rubricam hujus tituli.

## I

DE NATURA, REQUISITIS, AC FORMA PETENDÆ RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

2. *Restituere in integrum generatim, quid?* — Quæritur I. Quid si restitutio in integrum, et quale remedium juris? Resp. I. « Restituere in integrum » generatim loquendo idem est, ac in pristinum statum reponere. Textus est in l. I. C. *de Sententiam passis*, ibi: « Ut autem scias, quod sit in integrum restituere, honoribus et ordini tuo, et omnibus cæteris te restituo. » Concordat l. *Quod si minor*. § *Restitutio*. ff. *de Minorib.* In proposito tamen restituere in integrum nonnihil strictius accipitur; nec aliud est, quam reducere aliquem in eum statum, in quo fuit ante læsionem. Unde

3. *Restitutio in integrum strictius accepta, quid?* — Resp. II. « Restitutio in integrum » strictius accepta, et prout hoc loco accipitur, est extraordinarium juris remedium, quæ graviter læsus ex naturali æquitate per officium judicis reducitur in eum statum, sive jus, in quo fuerat ante læsionem. Ita in rs

communis; atque desumitur ex c. *Auditis*. Et juncta Glossa fin. h. t. et l. I. ac seqq. ff. eod. et patebunt singulæ particulæ declarando conditiones ad restitutionem in integrum requisitas, de quibus proxime dicetur.

4. *Ideo est extraordinarium juris remedium, ac introducta in subsidium. Non competit habenti actionem.* — Resp. III. Restitutio in integrum recte appellatur, atque est « extraordinarium juris remedium, » utpote introducta in subsidium, seu quando nulla ordinario actio suppetit. Ita communis; et habetur expressum l. *In causæ conditione etiam*, 17, § 1. ff. *de Minorib.* Ubi dicitur, quod in causæ cognitione, utrum restitutio sit concedenda, etiam hoc sit attendendum, « num forte aliqua actio possit competere circa in integrum restitutionem: nam si communi auxilio, et mero jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium restitutionis in integrum.

5. *Secus, si quis solam exceptionem habeat.* — Dicitur notanter, « aliqua actio. » Nam, si quis solam exceptionem de jure communi habeat, non vero actionem, ea non obstante dabitur ipsi restitutio in integrum. Glossa in cit. l. *In causæ*. §. *Competere*, ac notat Bartolus ibid. n. 2. id ulterius probans ex l. *Si minor*, § *Minores*. ff. eod. ubi Glossa finalis istud amplius declarat.

6. *Regula illa: Habenti remedium ordinarium non est tribuendum extraordinarium, limitatur, nisi extraordinarium sit pinguius.* — Deinde regula illa, quod habenti remedium ordinarium non debeat tribui extraordinarium, debet intelligi, ac limitari, nisi remedium istud extraordinarium sit pinguius ordinario: alias est secus dicendum, per ea, quæ notantur in c. *Ex parte*. 12, *de Rescript.* et cap. i. h. t. in 6. Abbas Panormit. in cit. c. *Ex parte*. n. 9 et c. *Cum dilecti*. n. 5. *Emption.* et Engel. h. t. n. 2, et Jo. Mauritius Bolanus, tom. V. *Tractatum*, tract. *de Restitut. in integrum*. cap. XII, num. 7, cum aliis.

7. *Exemplificatur hoc in minore, vel Ecclesia ultra dimidium læsa in venditione.* — Hinc idem Abbas d. n. 5, et Covarruvias lib. I. *Variar. resolut.* cap. III, n. 11, vers. *Tertio*. citans alios, et Engel. h. t. n. 2. notanter inferunt, quod minor, vel Ecclesia in venditione ultra dimidium læsa, possit omisso ordinario remedio (l. II. C. *de Rescindend. vendit.* ultra dimidium læsis competente) petere remedium extraordinarium restituti-

onis in integrum: cum hoc sit pinguius. Et hoc partim ex eo, quia petens restitutionem in integrum, necesse non habet probare læsionem ultra dimidium; quæ est difficilis probationis, et requiritur in alio ordinario remedio. Partim, quia reus conventus ex cit. l. II. habet electionem vel supplendi pretium, vel rem restituendi: non sic in restitutione in integrum, ubi quis præcise cogitur rem restituere.

8. *Ad restitutionem in integrum requiritur, I. Læsiō gravis.* — Queritur II. Quæ requirantur ad restitutionem in integrum? Resp. I. Ut læsus ex aliquo actu, vel contractu, in integrum restitui debeat, requiritur imprimis, ut læsiō illa sit gravis, seu notabilis, juxta arbitrium boni viri, seu discreti judicis. Ita Glossa in cap. i. §. *Detrimentum*. h. t. id probans ex cap. penult. *De rebus Eccles. non alienand.* et l. *Si ex causa judicati*. § 1. ff. *de Minorib.*; Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.* cap. III, n. 11, et alii communiter: quanquam læsiō ista non tantum sit intelligenda de damno præsentis, sed etiam de periculo ejus.

9. *De minimis non curat prætor, declaratur.* — Quod si autem læsiō foret minima, vel saltem spectatis omnibus circumstantiis modica arbitrio judicis, tunc istud extraordinarium remedium non est concedendum; per textum notabilem n. l. *Scio illud*. ff. *de Restitut. in integr.* juncta Glossa, et doctores ibidem, inde inferentibus, quod in his, quæ contra jus commune conceduntur, de minimis non curatur. Unde illud vulgatum: « De minimis non curat prætor, » ut notatur cit. l. *Scio illud*, et l. *Res bona*. ff. *de Contrahend. emption.*, cum similibus.

10. *De minimis non curat prætor, declaratur.* — Dices. In l. *Si proprietarius*. ff. *De damno infecto*, judex ordinat, sicque curat, si vel « minimum damnum detur. » Similiter in §. *Gallarum*. Instit. *de Rerum division.* detinens anseres alterius animo lucrandi, « furtum committere intelligitur. » Item in l. *Quinque pedum*. C. *Finium regundorum*, etiam pro modica occupatione, et pro vili cespite terræ, redditur judicium finium regundorum; ergo etiam de modica læsiōe curat prætor, sicque potest concedere restitutionem in integrum. Resp. cum Glossa in cit. l. *Scio illud*. §. *Summam*, et Bartolo ibidem, quod in his, quæ conceduntur secundum jus commune, curatur de minimis, ut probant allatæ instantiæ: secus in his, quæ contra jus commune ex speciali privilegio permittuntur, ut accidit

in restitutione in integrum. Alioquin enim, si hæc pro rebus minimis, ut puta, pro læsiōe unius quadrantis concedenda foret, non sufficerent mille judices in quavis civitate his restitutionibus concedendis; ut loquitur Covarruvias cit. cap. III, num. 11, vers. *Ego sane*.

11. *II. Quod læsiō illa gravis acciderit dolo adversarii, vel sua facilitate, etc., ex actu cum ipso gesto.* — Resp. II. Insuper ad restitutionem in integrum requiritur, quod læsiō illa gravis acciderit dolo adversarii, vel inconsculta facilitate læsi, aut negligentia sui procuratoris, ex actu vel contractu cum adversario gesto; idque vel manifeste constet, vel saltem in judicio per læsum rite probetur. Ita desumitur ex cap. i. h. t. et notat Abbas ibid. n. 2. et Sannig, h. t. cap. II, n. 4. et alii. Idque clare habetur in l. *Verum*, 12, § *Sciendum est*. ff. *de Minorib.* ubi dicitur, « non passim minoribus subveniri, sed causa cognita, si capti esse probentur, » vel sui facilitate, vel dolo adversarii, ut explicat Glossa ibidem. Quod si igitur casu fortuito grave damnum evenerit, ut puta, si res empta incendio perit, vel animal mortuum fuit, restitutionis locus est; prout in cit. §. *Sciendum est*, pluribus exemplificatur.

12. *Idque per læsum rite probetur.* — Additur notanter in conclusione, « per læsum rite probetur. » Tum quia, licet ex sola affirmatione Ecclesiæ, vel minoris restitutionem in integrum postulantis, examinentur causæ restitutionis: non tamen conceditur ipsamet restitutio, nisi læsiōe gravi antea probata, tum quia onus probandi talem læsiōem (ubi de hac aliunde non constat) incumbit ipsi Ecclesiæ, vel minori restitutionem petenti. Textus et Glossa fin. in Clem. un. h. t.; Speculator, h. t. § *Quis autem*, n. 15 et alii.

13. *III. Justa causa.* — Resp. III. Rursus ad concedendam restitutionem in integrum requiritur justa causa. Patet hoc ex c. *Auditis*, 3, h. t., ubi pontifex de Ecclesiis læsis loquens, inquit: « Æquitate pensata utramque restituimus: » atqui æquitas importat justam causam; ergo. Idem patet ex l. I. ac seqq. ff. *de Restitut. in integr.* ubi enumerando causas generales hujus restitutionis dicitur, quod per eam prætor « hominibus vel lapsis sui facilitate (ut explicat Glossa ibidem) vel circumscriptis adversarii dolo subvenit: sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia inciderunt in captionem, sive per status mutationem, sive per justum

errorem. » Hæc ibi. Concordat textus in l. I et seqq. ff. *Ex quibus causis majores*, etc.

14. *IV. Quod actus, seu contractus ille fuerit validus.* — Resp. IV. Ad concedendam restitutionem in integrum etiam requiritur, quod actus, seu contractus ille, ex quo gravis læsiō sequitur, de jure fuerit validus. Patet hoc ex l. *In causæ cognitione etiam*. § 1. et 2. ff. h. t. Ubi istud exemplificatur exemplo pupilli sine auctoritate curatoris cum aliquo contrahentis: ac exemplo minoris curatorem habentis, qui absque hujus auctoritate bona sua alienat, sicque circumvenitur: nam quia tales contractus ipso jure sunt invalidi, ideo cessant partes judicis, neque locus est restitutioni in integrum. Et « generaliter (subdit textus ibidem) probandum est, ubi contractus non valet pro certo prætorem se non debere interponere. » Accedit ratio, quia in integrum restitutio est remedium extraordinarium, et introductum in subsidium; ac proinde non concurrat cum ordinario.

15. *Et quid in dubio, num contractus ille sit validus?* — Intellige, nisi probabiliter dubitetur, num contractus ille ipso jure sit invalidus. Siquidem stante tali dubio potest alternative utramque remedium in libello accumulari; videlicet, ut vel judex contractum pronuntiet esse invalidum, vel graviter læso beneficium restitutionis in integrum indulgeat; prout habetur casus in c. *Constitutus*, 8, h. t. et notat Abbas ibid. n. 9, post Innocentium. Unde regula illa, quod, « ubi competit remedium ordinarium, non datur extraordinarium, » procedit, quando certum est de remedio ordinario: secus, ubi de eo probabiliter dubitatur; tunc enim potest utrumque sub disjunctione intentari. Abbas loc. cit. n. 9, et in c. *Ex parte*. 12, n. 9, *de Rescript.* ubi nonnullas alias hujus regulæ limitationes ponit.

16. *Forma petendæ, et faciendæ restitutionis in integrum, quæ?* — Queritur III. Qua forma restitutio in integrum peti ac fieri debeat? Resp. I. Forma petendæ, ac faciendæ restitutionis in integrum, est, ut intra legitimum tempus (de quo infra) implorato officio judicis competentis, proponatur petitio; atque citato etiam adversario, coram judice illo causa petitiæ restitutionis legitime probetur, ab eoque cognoscatur, sicque ea justa cognita restitutio in integrum fiat. Ita Zoesius, h. t. n. 6. et 7; Pirhing eod. n. 69; Wessembecius in *Paratitulis*. ff. h. t. n. ult. et alii; patentque singula ex diversis juribus. Et quidem

17. *Hæc non petitur jure actionis, sed implorato officio judicis competentis.* — Dicitur primo, « implorato officio judicis, quia restitutio in integrum non petitur jure actionis, sed per officium judicis competentis, l. *Quod si minor*. § fin. ff. de *Minorib.* Nam Ecclesia vel minor ex contractu, vel sententia graviter læsus, implorat officium nobile judicis ad concedendam sibi restitutionem in integrum ex naturali dumtaxat æquitate: non autem prætendendo proprie jus aliquod, eo quod actus sive contractus, unde gravis læsio eidem obtigit, cæteroquin omnes legitimæ conditiones habeat, ac de jure validus existat, uti supponitur conformiter dictis n. 14.

18. *Et qualis hic sit judex competens?* — Et additur, « competentis, » quia restitutio in integrum est petenda solummodo coram judice competente, qualis est judex competens illius, in cujus præjudicium petitur restitutio. Nam generale est, quod actor forum rei sequatur, c. *Si clericus*, 5, et c. *Cum sit generale*, 8, de *Foro compet.* Idque etiam obtinere in agitanda causa restitutionis in integrum, patet ex l. *Quoniam*, 2, C. *Ubi et apud quem cognitio in integrum*, etc. juncto summario, et doctores ibidem. Abbas in c. *Constitutus*. n. 1, et 2, h. t. Engel, eod. n. 7, et communis.

19. *Judex minor non potest restituere contra sententiam majoris.* — Intellige, dummodo judex ille sit major altero, contra cujus sententiam restitutio in integrum imploratur. Nam judex minor, seu inferior, non potest restituere contra sententiam judicis majoris, l. *Minor autem*. ff. de *Minorib.* Siquidem minori non est jurisdictio in majorem; adeoque conveniens non est, ut per illum hujus sententia rescindatur, prout argumentatur Zoesius, h. t. n. 6.

20. *Restitutio in integrum debet fieri citato adversario.* — Dicitur ulterius, « citato etiam adversario. » Iste enim cum primis citandus est, ne causa, quæ ipsum tangit, eodem inconsulto temere mutetur. Unde provide l. *In causæ cognitione versabitur*, § *Causa*. ff. de *Minorib.* statuitur, quod præsentibus adversariis, nisi per contumaciam se absentent, in integrum restitutiones sint perpendendæ. Quinimo, quod restitutio concessa non citatis illis, quorum interest, in eorum præjudicium nihil valeat, textus est in l. *Etiam si patre*. § fin. ff. eodem.

21. *Alia declarantur. Remissive.* — Cæteræ particulae patent ex illis, quæ proxime dicta

sunt de requisitis ad restitutionem in integrum. Quod autem ista possit peti vel principaliter, vel incidenter, et an etiam a procuratore peti valeat, jam dictum est, tit. XXXVIII. De *procuratoribus*. § 4, n. 103 et 104.

## S II

## QUIBUS COMPETAT BENEFICIUM RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

22. *Minorennibus competit beneficium restitutionis in integrum.* — Quæritur I. Utrum minorennibus competat beneficium restitutionis in integrum? Resp. I. Restitutio in integrum jure communi cum primis conceditur ætate minoribus (id est, iis, qui viginti quinque annos nondum compleverant), si ex actu sive contractu notabiliter læsi, vel decepti sunt. Ita habetur in c. *Constitutus*. 8, h. t. ac l. I, et tot. tit. de *Minoribus viginti quinque annis*, cum concordantiis. Cujus saluberrimæ constitutionis in cit. l. I. affertur sequens ratio: « Nam cum inter omnes constet fragile esse et infirmum hujusmodi ætatis consilium, et multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum, auxilium eis prætor hoc edicto pollicetur, » etc.

23. *Etiam si contractus sit factus cum consensu patris, tutoris, vel curatoris.* — Conceditur autem hoc beneficium restitutionis in integrum minoribus utriusque sexus, ac etiam si contractus, ex quo graviter læderentur, factus sit cum consensu patris, tutoris, vel curatoris. Textus et doctores in l. I. ff. de *Filiosfamil. minore*. et l. III. § *Sed utrum*. ff. de *Minoribus*. et clarissime l. II, C. *Si tutor vel curator intervenerit*, cum similibus.

24. *Minor ætas qualiter computanda?* — Cæterum hujusmodi « minor ætas, » seu tempus viginti quinque annorum, est inspicienda de momento in momentum, ac dies bissextilis cum præcedenti computatur pro uno, adeoque graviter læsus ultima die viginti quinti anni, nondum a momento in momentum completa, potest petere restitutionem in integrum; text. clar. l. *Denique divus*, 3, § *Minorem*. ff. de *Minoribus*. Siquidem in materia odiosa (qualis est, non amplius gaudere beneficio restitutionis in integrum) dies a jure requisitus debet esse completus de momento in momentum: quamvis in materia favorabili secus sit; utpote in qua dies inchoata habetur pro completa; prout

eam communiori notat Fagnanus in c. *Ad nostram*, n. 31, de *Regularib.*

25. *Dantur plures casus, in quibus minores non gaudent restitutione in integrum.* — Resp. II. Dantur nihilominus plures casus, in quibus minorennis, seu ætate minores, non gaudent beneficio restitutionis in integrum. Ita communis; et probatur inductione.

26. *Uti, si minor antea impetravit veniam ætatis.* — Imprimis enim minor non gaudet beneficio restitutionis in integrum, si antequam contraxerit, ætatis veniam impetravit a principe: nam ea, quæ postea gessit, rata et firma manent, neque adversus ea conceditur restitutio, l. I. C. *De iis, qui veniam ætatis impetrarunt*. Accedit ratio: tum quia talis fictio juris natu major reputatur; tum quia alioquin illi, qui cum talibus contrahunt, auctoritate principis decepti esse viderentur.

27. *Vel si major effectus ratum habuerit, quod antea gesserat.* — Deinde minor non gaudet beneficio restitutionis in integrum, si major effectus ratum habuerit, quod in minorennitate gesserat, l. I. et II. C. *Si major factus ratum habuerit*. Et merito, tum quia talis censetur juri suo renuntiasset; tum quia propter ejusmodi ratihabitionem subsequentem, videntur omnia in majorennitate gesta.

28. *Aut illud juramento sponte præstito confirmavit.* — Tertio hoc ipsum accidit, quando minor, pubertate jam adeptus, contractum a se factum juramento sponte præstito confirmavit, Auth. *Sacramenta puberum*. C. *Si adversus venditionem*, etc. Tunc enim juramentum sponte præstitum, firmat ejusmodi contractum; et quia non vergit in æternæ salutis dispendium, nec in alterius detrimentum redundat, omnino servari debet, c. *Quamvis pactum; de Pactis*, in 6, cum similibus.

29. *Secus, si juramento dolo adversarii extortum fuerit.* — Et additur, « sponte præstito. » Nam, quod juramentum dolo adversarii extortum non impedit restitutionem in integrum, desumitur ex c. *Cum contingat*. 28. de *Jurejurand.*, etc. Licet, eod. in 6, ac tradit Covarruvias in c. *Quamvis pactum*. in 6. part. III, § 4. n. 3, citans alios.

30. *Minor fallaciter se majorem asserens, nequit petere restitutionem: secus, si id fiat per errorem.* — Quarto, si minor fallaciter sese majorem asserat, eo animo, ut alium ad contrahendum secum inducat, qui alioquin contracturus non fuisset, non potest postea petere restitutionem. I, II et III. C. *Si minor*

*se majorem dixerit*, etc. Secus est, si id fiat per errorem; nam probata ætate minori potest petere restitutionem in integrum, l. I et III, C. eod. Ratio disparitatis est; quia errantibus, seu deceptis, non etiam fallentibus minoribus, jura subveniunt, cit. l. II. C. eod.

31. *Aliæ limitationes. Remissive.* — Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, quas addit card. Tuschus, litt. R, concl. 28, n. 117 et seqq., ubi post alios notat, quod non detur minori restitutio in integrum adversus judicatum, nisi constet de injustitia judicati, et de læsione minoris. Item, quod restitutio in integrum non detur filio etiam minori adversus patrem. His addi possunt causæ illæ, de quibus infra § 4 ex professo dicitur.

32. *Beneficio restitutionis in integrum gaudent ecclesiæ, monasteria.* — Quæritur II. Utrum beneficio restitutionis in integrum gaudeant ecclesiæ, claustra aliaque pia loca una cum republica et universitatibus? Resp. I. Certum est atque inter doctores indubitatum, quod beneficium restitutionis competat ecclesiis, claustris seu monasteriis aliisque piis locis. Prior pars de ecclesiis habetur expressa in cap. i. et seqq. h. t. Nam ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari, cit. cap. i, cum fungatur jure minoris, c. *Auditis*. 3. h. t., et amplius declarat Glossa ibid. § *Jure minoris*, inter alia observans, quod licet ecclesia fungatur jure minoris, non tamen fungatur jure pupilli: quia contra pupillarem ætatem non currit præscriptio, l. *Sicut in rem*. C. de *Præscriptione triginta annor.* bene tamen contra ecclesiam, c. *Illud autem*. 8. et seqq. de *Præscriptione*.

33. *Non vero personæ ecclesiasticæ in suis bonis patrimonialibus: et quæ ratio disparitatis?* — Intellige tamen datam conclusionem, quando Ecclesia in propriis bonis, seu juribus graviter est læsa. Nam, si non ecclesia, sed solum personæ ecclesiasticæ in suis patrimonialibus bonis lædantur, non competit eis beneficium restitutionis in integrum. Glossa in Clem. un. § *Ecclesia*. h. t.; Speculator, tit. de *Restitutione in integrum*. § *Qua- liter*. n. 7; Abbas c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. n. 7; et Felinus, ibid. n. 10. de *Constitut.*; Covarruvias, l. I. *Var. resolut.* cap. IV, n. 2 et 3; Fagnanus in c. *Consuetudinis*. n. 30, de *Consuetud.* id extendens ad redditus Ecclesiarum clericis debitos; et alii. Ratio disparitatis inter hujusmodi bona est, quia bona Ecclesiarum sunt constituta ad cultum divinum, et ad subveniendum pauperibus: bona